

„speciem repugnare videntur, plane consentire ostenduntur. De auctoribus, quorum non est usus quoti-
dianus, non tanta est cura. Ceterum *Retractionem* operum suorum aliquam fecisse Thomam, fatemur
omnes: illam scilicet, non aliam, quæ aliquibus paucis in locis prostat in *Theologica Summa*, postremo
veluti ejus testamento.

Ad vindicias gradum facit Zornius, quas pro Aquinate adornavit *Vincentius Bandellus*, non adscripto
proprio nomine. Tum „Bandello tamquam *parafatam* adjungo (inquit) Joannem Capreolum, Ægidium de
„Columna in *Defensorio*, seu *Correctorio Librorum Sancti Thomæ contra Guillelmi Lamarenfis Thomæ Masty-
„gis corruptorium*, Diegum Dezam in *Defensionibus* adversus loca aliquot, in quibus Nicolaus de Lira
„Thomæ adversatur, Natalem Alexandrum &c. Quam inepta sunt, & chronico rerum ordini repug-
nantia, quæ differit Hamburgensis Auctor? Liceat docere ipsum, *Libellum de veritate conceptionis Glorio-
sæ Virginis Mariæ* à Vincentio Bandello, nomine proprio non adscripto, anno 1475. typis Mediolani man-
datum fuisse apud *Christophorum Waldarfer Ratisbonensem*. Nominis ejus proprio adscripto, Libellus alter
*De singulari puritate, & prerogativa conceptionis Salvatoris nostri Jesu-Christi per Fratrem Vincentium de
Castro novo* (nomen habes, & patriam) prodit Bononiæ anno 1481. Mortem Bandelli obiit anno 1506.
Unde festivum sane, quod huic *parafatam*, socium, opitulatorem, auxiliarem, adjunxit Zornius *Joan-
nem Capreolum*, qui anno 1444. vita migraverat. Festivus etiam, eidem Bandello, & Capreolo *parafatam*
adjungi *Ægidium de Columna* anno 1316. denatum. Genuinum Operis, quod huic tribuitur, titulum
præfert Editio Veneta anno 1516. *Correctorium corruptorii Fratris Thomæ*. Titulum interpolatum editionis
Colonienfis à Gualtero Strevesdorf anno 1644. curatæ, exprimit Zornius. Cur vero Bandello *parafatam*
adjungis Didacum Dezam, qui vindicias licet Aquinatis egerit, longe tamen diversum argumentum ver-
savit? Operis ejus titulus est: *Defensorium Doctoris Angelici Sancti Thomæ Aquinatis contra invecivas Mat-
thiæ Dorinck in Replicationibus contra Paulum Burgensem super Biblia*. Natalis demum Alexander postremus
est, qui perperam Bandello adjungitur *parafata*.

Hactenus de varia doctrinæ à Thomæ traditæ fortuna apud Zornium: non variam, sed constantem
fortunam ejus dixerim ego, secundam semper. De genuinis Sancti Thomæ scriptis... variam ejusdem
„fortunam, inquit, videre liceat. In principio tantum vera Thomæ *Opuscula* VII. erant numero: dein-
„de sæculo à morte Thomæ secundo, idest circa annum 1330. usque ad XX. augebantur: mox sæculo ter-
„tio ad numerum LVI. & denique sæculo quarto accessio facta est *Opusculorum* CXXVII. aut secun-
„dum alios CLXX. ne dicam ex illo tempore magis magisque in dies novas sub Thomæ nomine merces ob-
„trusas esse. Petrum de Alva & Astorga transcribit ille: depravat etiam. Hæc eadem namque profert ille
de Thomæ operibus generatim, sive majora, sive minora intelligas, quæ vulgo *Opuscula* dicuntur: tum
rationem aliam de hisce *Opusculis* ineundam proponit. Verba ejus accipe in Nodo indissolubili. *Opera* (non
Opuscula) *Sancti Thomæ*, quæ ab initio tantum erant VII. admissa ut legitima, sæculo secundo creverunt usque
ad XX. & sæculo tertio ascenderunt usque ad LVI. & modo circumferuntur CXXVII. vel secundum aliam sup-
positionem CLXX. *Opuscula* item parva, ubi initio tantum erant tria, creverunt usque ad septuaginta tria. Hæc effu-
sare potuit Petrus ille, probare numquam: ejusdemque adserta ad veritatis lancem minime exegit Zornius.
Nostratum Dissertationes uberrimæ prostant: quo etiam de argumento à me actum Præviis hisce in Ad-
monitionibus. Quam egregie vero Zornius subducatur rationes suas, admonendum est. Nempe *sæculum à
morte Thomæ secundum* definit circa annum 1330. Ad superos evolavit Doctor Angelicus anno 1274. un-
de colligo ego ad annum 1330. non nisi medium primum sæculum post mortem ejus effluxisse.

„Tanto malo mederi voluit Pius V. Pontifex: ejus enim jussu, à Patribus Prædicatoribus Thomæ
„Opera junctim sunt edita, eo quidem ordine, & consilio, ut quæ genuina essent, majoribus literis & typ-
„pis exscriberentur, falsa & suspecta minoribus. Ad genuina discernenda, ac suspecta, non opera
quæque Thomæ, sed *Opuscula* tantum, tota pertinet hæc Romanorum editorum cura. Non ex fonte
hauriebat aquam Zornius, sed infecto ex rivulo. Constat hanc ipsam editionem plerisque Scriptoribus
„Pontificiis exigui ponderis videri... Joannes Ludovicus Schonlebenius Tomo III. de *Virginis conceptione*,
„ludi operam ait ab illis, qui vera à falsis, genuina à subdititiis distinguere allaborent... Cælestinus Sfon-
„dratus in *Innocentia vindicata* toties regerit, vitia & corrupta esse Thomæ scripta. Vitiis typogra-
phica passim occurrere in Romana editione Pii V. inficiatur nemo. Hujusmodi preli errantis labes deter-
gere præsertim in *Comment. Sentent. in Catena Aurea*, in *Sum. Theol. in Opusculis* curarunt Franciscus Garzia
anno 1578. Cosmas Morelles anno 1612. Gregorius Donatus anno 1619. tum Lovanienfes & Duacen-
fes Theologi, Petrus Pellicam anno 1656. Joannes Nicolajus anno 1657. & 1660. Editores Patavini
anno 1698. His addo Thomam Madalenam anno 1719. Quod si Romanam istam editionem maculatam
dixeris vitii interpolatricis manus, quæ sententias mutaverit, aut alienas invexerit, calumniam instantas
toties prostratam. Hujusmodi vitiorum exempla adduci solent ex capite v. ad Romanos lectione III. &
capite III. ad Galatas lectione VI. & Opusculo de Salutatione Angelica, & I. Sent. Dist. XLIV. quæst.
unica art. 3. ad 3. & III. dist. III. quæst. I. art. I. quæst. II. & III. P. quæst. XXVII. art. 4. Satis Pe-

tro Zornio fuit admonuisse, *vitata & corrupta* dici Thomæ scripta. Indicata loca ad trutinam ego redegei om-
nia, vetusta edita exempla lustravi, manuscriptos, qui inveniri potuerunt, perlegi, codices, textus ante-
cedentes contuli & consequentes: eademque deprehendi variata numquam, nec intrusa, nec imitata,
Prævias Animadversiones nostras consule. Adeo ne vero laboriosum opus fuerit, *opera genuina* Thomæ
discernere à *subdititiis*? Præsidia præsto sunt omnia, quæ ad similis argumenti examen requiruntur. Pe-
culiaris Thomæ stylus, dictio, methodus, doctrina, doctrinæ consonantia totidem sunt: canones, qui lu-
cem afferunt ad hujusmodi opera discernenda. Synchroni & suppare adfunt Nomenclatores plures, qui
diligentissimos operum ejus indices texuerunt. Hinc *audiendi non sunt* (Oudini verbis utor capite XII.)
*Scriptores recentes, qui Sancto Thomæ Aquinati scripta ab antiquis collata auferunt ex proprio capite, absque ra-
tionibus idoneis, aut demonstrativis, uti nostro isto sæculo à nonnullis factum est*. Intellige Schonlebenium, Pe-
trum de Alva & Astorga, Launojum, ipsum Casimirum Oudinum, aliosque, passim Præviis nostris in
Admonitionibus reprehensos, & exagiatos.

„Inter tot rerum vicissitudines (cæpto pergat Zornius) tandem fama atque auctoritas Sancti Tho-
„mæ se exeruit. Scotus famæ surgenti invidere sustinuit. Audiam us, quæ hanc in rem observavit celeberr-
„mus Buddæus in Commentario Historico-Theologico de Pelagianismo in Ecclesia Romana per Bullam
„Antiquefnellianam triumphante. Thomam scilicet à Pelagianis commentis alienissimum ostendit, his
adhærentem Scotum. Vicissitudines te narrasse putas fortunæ Thomæ: quæ immo una semper constantis-
sima fuit uti apud amicos & benevolos, ita contra æmulos aliquos, & hostes. Miram vero, *inter tot re-
rum vicissitudines* obrudi Scotum, veluti invidentem Thomæ! Rectus chronicus ordo exposcebat, ut
post censuras à Stephano Tempier latas, & ante negotium Joannis de Montefono, ageretur de Joanne
Duns Scoto, cujus à Thomistica differens jam anno 1320. schola vigeat, dicta *Scotistarum*, ut Pagius os-
tendit ad annum M.C.XC. num. 10. Nolim ego Scoti Sancto Thomæ adversantis consilium penitus per-
quirere, & scrutari: illud vero certum, dissidium omne in opinionibus aut Philosophicis, aut Theolo-
gicis, quæ minime ad fidem pertinent, propugnatis ab Aquinate sistere.

Buddæum, à Zornio vocatum, audiamus. Exiit Thomas de Aquino, vir magno & excellenti in-
„genio præditus, qui veriora rectioraque perspexit: & Augustini vestigiis insistendo, Pelagianismo tor-
„rentis instar orbem inundaturo, se opposuit. Virum hunc non in hoc modo, sed in aîis quoque doctrinæ
„coelestis capitibus veritatem cognitam & perspectam habuisse, adeoque longe rectius sentire, quam ho-
„die Romana Ecclesia sentit, jampridem docuit Joannes Georgius Dorschæus in Libro, quo Thomam
„de Aquino confessorem veritatis evangelicæ exhibuit lectione VII. cap. I. His verba sua adjicit
Zornius: *juvit Buddæum*, inquit, *producto in medium uno, alterove testimonio declarare, quæ de vitiis
liberi arbitrii, deque necessitate, & efficacia gratiæ mens ejus fuerit: ipseque Zornius thesim illam addit, quæ
hominem enuntiat in negotio conversionis passivæ saltem, ut Theologi sequi solent, se habere*. Pro meritis Aqu-
inas celebratur vir magno, & excellenti ingenio præditus. Elogium ejus Erasmus, gratia nulla in ip-
sum ductus, his verbis texuerat in Annotationibus ad caput I. Epistolæ ad Romanos: *Meo quidem ani-
mo nullus est recentium Theologorum, cui par sit diligentia* (sicut Thomæ) *cui sanius ingenium, cui solidior eru-
ditio: planeque dignus erat, cui linguarum quoque peritia, reliquaque bonarum litterarum suppellex contingeret,
qui iis quæ per eam tempestatem dabantur, tam dextre sit usus*. Augustini vestigiis insistentem ipsum? Ope-
ra ejus palam faciunt: ac Pelagianismo adversa tradidisse documenta, res est certissima. Sed Aquina-
tem nostrum *longè rectius* in eo, quod ad gratiæ divinæ auxilia pertinent, sensit dogmate, *quam hodie
Romana Ecclesia sentit*, commentum est Heterodoxorum audacissimum, & insanum. Rectissimum ille in
ea fidei catholicæ parte sensum habuit, propterea quod egregie expressit docuitque quod olim, quod
hodie, quod semper eadem tenuit Ecclesia Romana. Liberum arbitrium, sicut ipsa docet, tuetur Thomas
ac illustrat, post Adæ culpam intactum sane, sed attenuatum, immune tamén à necessitate & coactione.
Gratiæ divinæ auxilia, sicut Romana Ecclesia sentit, necessaria docet ad opus quodcumque salutare,
ad pœnitentiam, ad dilectionem Dei, ad conversionem, ad omnem quæ justificationem præcedit dispo-
sitionem, ad meritum. Gratiæ efficacem agnoscit, sufficientem distinguit, quæ possumus præcepta ser-
vare: quod utrumque dogma ab Ecclesia Romana accepit. Hæc anathemate perculit efficacæ illius mo-
dos, qui postea inveci sunt, Lutheranos, Calvinianos, Jansenianos, ac etiam prædamnaverit Thomas,
arbitrii scilicet libertati inimicos. Modos alios efficacæ, qui salva liberi arbitrii potestate dissentendi pro-
pugnantur in Scholis, eadem permittit Romana Ecclesia: modumque sum exponit Aquinas, quem Doctis-
simi Viri amplectuntur, ac Romani Pontifices commendant.

Nihil ergo juvit Buddæum, nihil Zornium, prædicta indicare exempla, ut Thomam cum Roma-
na Ecclesia committerent Dorschæi, quem laudant, vanissimos conatus in eodem pertractando argu-
mento jam olim compresserat Thomas Leonardus, qui singulare contra Doctorem Lutherum edidit opus
Bruxellis anno 1661. Diligentior liceat examine thesim expendere, quam Thomæ Aquinati attribuit
Zornius. Putat ille docuisse Præceptorem Angelicum, *hominem in negotio conversionis passivæ se habere*.

Inferia, & infania est puridissima. Inquiri ille 1. 2. quæst. cxl. art. 3. utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii? Responsum accipe. Dicendum, quod justificatio impii fit, Deo movente hominem ad justitiam: ipse enim est qui justificat impium, ut dicitur Rom. 111. Deus autem movet omnia secundum modum uniuscujusque: sicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipso gravia, & aliter levia (Philosophia Aristotelica exempla æquo pariter animo) propter diversam naturam utriusque. Unde & hominem ad justitiam movet secundum conditionem humanæ naturæ. Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrii: & ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio à Deo ad justitiam, a seque motu liberi arbitrii. Sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui sunt hujus motionis capaces. Motum istum, & actum liberi arbitrii magis ut explanet, inquit art. 4. utrum ad justificationem impii requiratur motus fidei? Dicendum, inquit, quod sicut dictum est (art. preced. 3. motus liberi arbitrii requiritur ad justificationem impii, secundum quod mens hominis movetur à Deo. Deus autem movet animam hominis, convertendo eam ad seipsum, ut dicitur in Psalm. lxxxiv. vers. 7. secundum aliam litteram, apud Augustinum, & antiqua Psalteria: Deus tu convertens vivificabis nos. Et ideo ad justificationem impii requiritur motus mentis, quo convertitur in Deum. Prima autem conversio in Deum fit per fidem, secundum illud ad Hebræos 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia est. Et ideo motus fidei requiritur ad justificationem impii. Hæc non sinit doctrina Thomæ. Rem splendidius declarat art. 5. inquit utrum ad justificationem impii requiratur motus liberi arbitrii in peccato? Nihil hæsitans ajentem sententiam profert: Dicendum, inquit, quod justificatio impii est quidam motus, quo humana mens movetur à Deo à statu peccati in statum justitiæ. Oportet igitur quod humana mens se habeat ad utrumque extremorum, secundum motum liberi arbitrii, sicut se habet corpus, localiter motum ab aliquo movente, ad duos terminos motus. Manifestum est autem, in motu locali corporum, quod corpus motum recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem. Unde oportet quod mens humana, dum justificatur, per motum liberi arbitrii recedat à peccato, & accedat ad justitiam. Recessus, autem, & accessus in motu liberi arbitrii accipitur secundum detestationem, & desiderium. Dicit enim Augustinus, tract. xlvi. in Joann. num. 8. exponens illud, Mercenarius autem fugit; Affectiones nostræ motus animarum sunt. Laetitia, animi d'ffusio... timor, animi fuga est... Progredieris animo, cum appetis; fugis animo, cum metuis. Oportet igitur quod in justificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex: unus, quo per desiderium tendat in Dei justitiam: & alius, quo detestatur peccatum. Utrumque vero actum una charitatis virtus exercet: quoniam ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & fugere aliud (ut ait ipse Thom. ad 1.) Et ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata, per quæ anima separatur à Deo. Disertissime Thomas docet, in impii conversione & justificatione motum requiri, & actum liberi arbitrii, liberam fidem in Deum, liberam Dei dilectionem, liberam detestationem peccati. Quæ cum ita splendida sint, cæciterent Zornius oportet, immo deliraverit. Sectæ præjudiciis occupatus, thesim Thomæ tribuens, quæ hominem evantiat in negotio conversionis passive se habere.

Recte sentienti Thomæ in eo dogmate, quod gratiæ divinæ necessitatem spectat ad actus exerendos salutare, veluti adversantem inducit Scotum: Joannes Duns Scotus, inquit, sicut ut in aliis, ita hæc quoque in re ab eo dissentiens. Docuisse nimirum Scotum nonnulli observant (vide Chemnitium Loc. Theolog. loco de Libero arbitrio cap. vii. 11. Homines sine gratia natura viribus posse exercere opera moraliter bona, quibus de congruo mereantur gratiam gratum facientem; addita ratione, nisi peccatum naturæ meritum congrui, in n. posse Deum defendi ab acceptione personarum. Quo ipso à Pelagiana hæresi non procul se abesse. Doctor subtilissimus satis testatur est. Quisquam iam excogasset, hæc in Programma suum intrudi à Zornio potuisse, variam Thomæ sententiam in Scholis Pontificiorum, præsertim Gallorum, enarranti? Quæ veluti Scoti verba ex Chemnitio afferuntur, locum indicant in IV. Sent. dist. xiv. quæst. 11. ubi sic ait Doctor subtilis. Peccator... potest ex naturalibus, cum communi inveniuntur considerare peccatum commissum, ut offensivum Dei, & contra legem divinam, & ut aversum à Deo, & ut impeditivum præmii, & ut inductivum supplicii... Et potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum... detestari... Potest etiam ista detestatio esse totaliter circumstantiata circumstantiis moralibus debitis... Iste autem motus dicitur attritio, & est dispositio, sive merum de congruo ad deletionem peccati mortalis... Si est attritio perfecte, circumstantiata in genere moris, videtur omnino dispositio sufficiens ad justitiam, in termino illius attritionis acquirendam... Vel enim oportet dicere, quod justificetur peccator sine omni dispositione sufficiens de congruo, ex parte ejus; & per consequens difficile est salvare, quod apud Deum non sit acceptio personarum. Animadvertite, mirabile fidem fuisse Chemnitii calamum in decerpendo Scoti textu: ipsumque de suo addidisse verba illa, sine gratia, & illa, non potest Deus defendi. Scotum suum pro viris nobiles ejus discipuli vindicant.

runt: satisque memorare mihi fuerit Vegam, Delfinum, Faventinum, & Antonium Hiquæum in latiore ejus loci commentario. Admonent omnes, viribus naturalibus addidisse subtilem Doctorem præsidium influentiæ communis: & hanc influentiam Dei ideo communem dictam, quod secundum legem ordinariam divinæ sapientiæ datur juxta exigentiam causæ, & operis, & motivi: adeoque demum auxilia gratiæ divinæ non excludi. Textus afferunt quamplures, qui mentem Scoti patefaciunt, Pelagianis commentis omnino adversam. Hæc ne intellexerit Zornius?

A Scoto transiit ille ad Nominales: quorum doctrinam, ait, ipsis Auctoribus collegio & facultate Parisiensi ejectis, publice proponi vetuerunt Thomistæ. Tum ex Baluzio Libro IV. Miscellaneorum Defensionem Nominalium refert, Ludovico XI. anno 1473. oblatam, qui postulantibus Thomistis, Okami & Nominalium libros è scholis eliminandos edixerat. Ignoscant mihi, si vagari cogor, vagantem ut insequar Petrum Zornium. Ignarum se præbet adversæ fortunæ, quam passus est Guillelmus Okamus, qui post Roscellinum Compendiensem, Nominalium scholam erexit. Vir quidem acris ingenii erat (minime suspectum Vvadingi testimonium accipere in Bibliotheca) sed minime sobrii: plus enim volebat famulumque extollere Imperatoriam dignitatem. Insipienti zelo, & nimis ardenti defendere volens Franciscanæ paupertatis excellentiam, timens incidere in manus Joannis XXII. valde contrarii Minorum sententiæ, fugit cum Michaelæ Casenate ad Ludovicum Bavarum, qui tunc Cæsarem agebat: scripsitque intemperanter nimis contra Joannem. Patebat attamen post ejus obitum schola Nominalium: qui nedum Thomistas, sed etiam Scoti affectas, aliosque scholasticos nacti sunt adversarios. Plus æquo vero faventes Okamo, & Joannis XXII. memoriæ iniquiores fuisse Auctores articulorum, qui anno 1473. oblati fuerunt Regi Christianissimo Ludovico XI. sine partium studio adnotavit Natalis Alexander in Historia Eccles. sæculi XIII. cap. v. articulo 111. Nominalium historiam molit & propenso calamo narrat Jacobus Bruckerus in Historia critica Philosophiæ Tomo III. Periodo 11. Parte 11. Libro 11. cap. 111. sectione 111. §. xxviii. Cur non vero, cum Melanchthon, ait ipse ait, Lutherus, aliique Nominalibus addicti essent? At ipse demum testis est Tomo IV. Periodo 111. Parte 1. Libro 11. capite 11. §. ix. Hanc denique sectam si non totam expiravisse, certe ad incitiam redactam, momentum non amplius inter Scholasticos recentiores mereri.

Eadem ferme fata (inquit Zornius) habuit Joannes Vveselus Hermanni, qui & Basilius cognomine Gransfortius, gente Friso. Is enim, cum soli Scripturæ fidem omnem haberi vellet, neglecta Thomæ, quem in disputando sæpius flocci fecerat, auctoritate, ignis periculum adiit, donec apud Gerthardum Eltenium, & Jacobum Sprengerum ex Ordine Prædicatorum Inquisitores, errores ejus rateret, veniamque impetrasset. Ad annum 1479. negotium spectat, quo Moguntia typpis excusa prodierunt Paradoxa D. Joannis de Vvesalia, sacrarum litterarum Doctores, ac concionatoris Vormatiensis, cum Examine Magistrali ejusdem Joannis de Vvesalia. Novis typpis impressa leguntur apud Orthavium Gratium in Fasciculo rerum expendarum, Colonia anno 1535. & Londini anno 1690. & apud Dargentæum anno 1729. in Collectione Judiciorum de novis erroribus. Animadvertite, in his omnibus editionibus Joannem de Vvesalia vocari: quem à Joanne Vvasselo Hermanni, alias Basilio Gransfortio, distinguendum jubet Guillelmus Cave in editione Colonienfi Allobrögum 1720. & Anonymus in Notis ad novissimam editionem. Quid hocce de negotio senserit ipse Gratus, ex ejus epistola profero ad Lectorem Apologetica, quæ in calce Londinensis editionis prostat. Quid tandem de Joanne Vvesalieno si Theologo dicemus? Humana certe creatura, & inveteratus filicernius. Itaque quas putidas ille protulit vomicas, condemnatae sunt. Geronticos enim in omnibus loquitur, senescionem sese delirum, ad verulum indicans insensatum. Cujus etiam verba, germanice ab eodem prolata, si justa lance ponderaverimus, temerarium fuisse hominem, nemo non cognoscet. Quapropter in sempiternum illorum dedecus, & in bonorum omnium edificationem, convictæ & condemnatae eorum hæreses in medium proferuntur. Quanam fuerint hæreses istæ, profert Guillelmus Cave: E scriptis illius inquit, excerpti errores in medium sunt prolata, de Regula fidei: nihil enim credendum esse voluit, quod in sacra Scriptura non habeatur. De Sacramento Eucharistiæ: in quo substantiam panis non manere credit. De indulgentiis: quas parum approbavit. De Concilii generalis auctoritate: quam fallibilem esse docuit. De processione Spiritus Sancti: quam Filio, æque ac Patri deberi negavit. Deque aliis Theologiæ placitis quam plurimis. Hosce (pergit Cave) primum tuebatur Vveselus (Vvesalius) cum vero imaginem ab Inquisitoribus intentari sentiret, ad palidoniæ descendit. Maxime id displicuit Theologis magni nominis quibusdam Academicis: qui nempe plus justo Vvesalio favebant. An hæc intervalla Theologorum placita, quæ utrinque prohibito sustinentur, numeraverit Zornius?

Thomæ adversariis aliquandiu oppressis (verba ejus sunt) vel in ordinem saltem coactis, idem Doctor Angelicus & irrefragabilis ad thronum evectus est culmen. Tum refert ille miracula, visiones, revelationes, quæ ad approbationem doctrinæ Sancti Thomæ spectant: itemque Romanorum In IV. Sentent. Tom. V. § 2